

Příloha

Připojený latinský text vybraných částí spisu, který vychází z kritické edice Richarda Salomona, je převzat z elektronické databáze latinských textů *Corpus Corporum*:

IOHANNES PORTA DE ANNONIACO. Liber de coronatione Karoli IV. imperatoris. Ed. SALOMON, Richard. *Corpus Corporum: repositorium operum Latinorum apud universitatem Turicensem* [online]. Universität Zürich [cit. 2021-7-24]. Dostupné z: <http://mlat.uzh.ch/?c=22&w=lohPor.LiDeKar>.

[...]

RELATIO IOHANNIS PORTA.

1. In nomine Domini amen. Anno nativitatis eiusdem millesimo trecentesimo LIII^o, indictione septima, mensis Novembris die XIII, pontificatus vero sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Innocentii VI. divina providentia sacrosancte Romane ac universalis ecclesie summi pontificis anno secundo, ordinatus est liber iste per reverendissimum in Christo patrem et dominum dominum Petrum de Columbario Viennensis dyocesis, Ostiensem et Vellethrensem episcopum cardinalem, et scriptus per me Iohannem Porta de Annoniaco Viennensis dyocesis, capellanum et familiarem domesticum commensalem reverendissimi in Christo patris et domini domini Petri miseratione divina Ostiensis et Vellethrensis episcopi, eiusdem sacrosancte Romane ac universalis cardinalis, quem quidem dominum cardinalem sanctissimus dominus noster papa predictus, cum tam in consistorio quam extra propter nonnullorum auctoritatis quidem non modice dominorum hesitationes et dubia de complendis, exercendis et ministrandis illustrissimo principi domino Karolo Dei gratia Romanorum regi semper augusto debitis benedictionis, inunctionis et coronationis honoribus solita maturitate tractasset ac post multa tandem diversis temporibus et diebus audita colloquia reverendorum patrum dominorum cardinalium vota sive auricularia consilia iuxta morem sancte matris ecclesie singulariter explorasset, pridie, videlicet die Lune, X. die mensis Novembris in consueto consistorii Avinionensis loco de dictorum dominorum cardinalium communi consilio et assensu pronuncciatum atque decrevit, quin ymmo verius Ostiensis et Albanensis ac Portuensis ecclesiarum longe diuturnitatis antiqua privilegia in omnium Romanorum imperatorum coronationibus observata recensens, una cum reverendis patribus dominis Albanensi et Portuensi episcopis cardinalibus futurum ac eos una cum eodem domino Ostiensi episcopo cardinali futuros esse debere de iure ac de consuetudine longeva legatum et legatos ad complenda seu celebranda, exercenda seu ministranda dictarum imperialium benedictionis, inunctionis et coronationis consueta solempnia declaravit, ad registrandum omnes et singulas litteras, quas eidem domino Romano(rum) regi vel quibuscumque prelati, principibus aut nobilibus, communitatibus aut personis ratione dicte sue legationis destinare vel scribere seu ab illis et eorum singulis recipere eum continget, necnon et omnes et singulos actus, quos per eum vel circa eum contigerit exerceri, ac omnes et singulas novitates, que per Ytaliam et maxime in terris, per quas ipse transibit, tempore dicte sue commissionis emergent.

[...]

33. Missio nunciorum ad senatum et populum Urbis super denunciatione coronationis imperatoris.

Dominica vero, que Ramos palmarum immediate precedit, que per Ytaliam dicitur Passionis, XXII. Martii supradicti, ambo predicti domini rex et cardinalis videlicet inter se digesto consilio nobilem illum superius nominatum Lellum scilicet Petri Stephani de Tosectis de Urbe, quem dictus rex ad eiusdem cardinalis instantiam per plures dies ante in consiliarium et familiarem domesticum iam receptum cesaris ac fiscalem imperii procuratorem fecerat per totam Ytaliam generalem, ad dictam Urbem cum celeritate premittunt ad senatum et populum dicte Urbis cum sola credentie littera dicti regis, ut eorum adventum eisdem senatui populoque notificet et dispositum diem gloriose videlicet Resurrectionis dominice tunc instantem ad sue coronationis solempnia celebranda denunciet et de aliis, que fienda sunt in predicto coronationis celebri die, cum illis, ut poterit, ordinate disponat. Qui quidem Lellus, veluti *fidelis servus et prudens*, mandatum huiusmodi curans curiosius exequi gressus suos versus Urbem celeriter dirigit et die Iovis, XXVI. Martii, tunc immediate sequenti hora prandii Romam intrat ac continuatis passibus Capitolium ascendit, senatoribus loquitur et generale Romanorum concilium ordinat pro crastino convocari. Et die Veneris mane tunc immediate sequenti in eodem generali concilio congregato dictus Lellus iuxta Romanorum consuetudinem et tantorum dominorum decentiam, quas expertus optime noverat, ambasiatam impositam eleganter exponit et mandata mittentium exequitur diligentius.

34. Recessus domini cardinalis de Pisis et honor sibi exhibitus per Iohannem Angelum.

Eodem die Dominico Passionis predicto ambo dicti domini de dicta Pisana civitate descendunt; sed pro maiori comoditate diversis itineribus gradiuntur, quia dictus dominus rex itinerat per Vultras, ubi per episcopum et suos mirabiliter honorabatur, et dictus dominus cardinalis iter continuat per Castellum Florentinum et Podium Bonici versus Senas, antiquam et floridam Tuscie civitatem, quam regina iam prius die Lune, videlicet XXIII. dicti mensis, intraverat hastiludiis et pallio et diversis civium plausibus variisque modis honorum multipliciter honorata et in domibus cuiusdam nobilis divitis et potentis, quem Iohannem Angelum de Salimbenis vulgus appellat, cum omni debita solempnitate recepta, ubi predicti domini sui regis prestolabatur adventum. Et civitatem ipsam Senensem sequenti die post regine introitum idem dominus cardinalis per episcopum et clerum ac populum tam pallio quam aliis honoribus honoratus ingreditur et in eiusdem episcopi domibus cum magno plausu recipitur et multum gratiose videtur et ibi etiam dictum regem expectat.

35. Honor exhibitus imperatori et cardinali per cives Senenses et fidelitas cardinali ostensa ad refrenandum quendam motum civium.

Sequenti vero die Mercurii, XXV. mensis Martii supradicti, dictus dominus rex civitatem Senensem predictis omnibus modis et pluribus honoratus ingreditur. Sed cum descendere credit, rogatur ascendere. Nam maiorum et plebeiorum civium animas passa iam octuaginta annis quodammodo servitus per concives eorum medii status civitatis eiusdem regimen exercentes illis prorsus exclusis iniecta maxime libidinis generans dominandi seu libertatis bonum ampliandi pruritum magis ac magis incitat in tumultum, ut dictum dominum regem quamvis eorum omnium naturaliter dominum etiam de novo constituent et omne sibi tribuendo dominium civitatem totam illi subiciant, conclamando. Et quidam equi sui

manibus continentes habenas, vestimentorum fimbrias alii, pugno claudentes stapedas alii cum illis et tibias brachio perstringentes, alii quoque pedes osculis devotissimis lambentes, gaudiosas alii circum voces: 'Vivat rex in eternum!' ad ethera offerentes nullatenus eum descendere permiserunt, sed voluntatem suam ad finem conceptum deducere sathagentes, regem ipsum et equum ipsius propriis eorum pectoribus humerisque perstrictos versus eorum commune palatium invitos ire compellunt. Quod cives quidam medii rectores illi custodiunt clausumque defendunt et absque cause cognitione sic reddere contradicunt. Sed serenissimus ille presul, Aquilegensis videlicet patriarcha, non tamen ex recta linea regis predicti germanus, necnon et virtuosus alter Pragensis antistes ac exiguus corpore, magnus industria regni Boemie maraschallus galeatis eorum stipati ferocibus illos inde descendere non sine qualis sanguinis effusione compellunt, quos vix de manibus aliorum eripere valuerunt. Quibus per dictum dominum cardinalem a principio rumoribus auditis statim velut cordatus dominus et fidelis amicus ad defensionem pariter et salutem dicti regis et suam gentes eius iubet arma recipere ac ad dictum regem cum acceleritate transmittit, quid facturum se placeat diligenter exquirens. Quod dictus dominus rex a nunccio vix pre cursu loquente percipiens diligentiam dicti domini cardinalis et fidem ad celos extollens ei gratiatur habunde ac, ut in bono sese confirmans animo fortis efficiatur et constans neve pro status eius decentia, cum quoque tunc non expediat, de domo discedat, resperso corde sinceritatis hortatur. Et sic eodem nunccio cum celeritate remisso solempnes duos eius proceres ad eundem dominum cardinalem cum eadem sententia destinare festinat, velut ille, qui semper in singulis sue circumspeditionis industriam et iudicii discretionem exercet.

36. Reformatio civium Senensium et quorundam convicinarum castrorum per imperatorem facta.

Cum autem rex in plateam communis, que Campus vulgo dicitur, pervenisset, veluti rex pacificus, mansuetus dominus, princeps pius verbis clementibus loquitur, iram populi mitigat, furorem civium comprimit et eorum cordibus caritatem accendens ad pacem et concordiam eos inducit et caritativis affectibus eos exortans, ut verba eius pauca recolligam, ita dicit: 'Fidelissimi cives! Querite pacem civitatis et orate pro illa ad Dominum, quia in pace illius erit pax vestra.' At illi vocibus altioribus exclamando: 'Rex in eternum vive!' dixerunt: 'Tunc in iocunditate pacis agemus, cum cuncta corrigentur per tuam providentiam; etenim sine regali providentia impossibile est pacem rebus dari'. Quibus auditis obstinatam et diu conceptam eorum voluntatem attendens et communem utilitatem considerans, eorum petitionibus acquiescens descendit de equo et iuxta desiderium civium palatium communis ascendens cepit regimen civitatis exercens civitatem ipsam et homines reformare, multis de medii status ordine ita dictis et maxime nonnullis tunc regentibus non ex iussu, sed ex libito proprie voluntatis exulibus et propriarum rerum aliqua dampna passis. Et sic terra, que per commotionem civium tremuit, conquievit. Et cetera castra seu ville Senensium iurisdictioni subiecte, quarum quedam, ut earum matrem et dominam sequerentur, quedam, ut a servitutis iugo, quo per Senenses cives premi solebant, eximerentur, in totum se dicti regis regimini subiugarunt; de quibus ultimis Grossetana et Massetana civitates necnon et Polizanense ac Alcini montium castra fuerunt. Quorum omnium et ipse rex iuramenta fidelitatis accepit, faciens etiam reformationes aliquas in eisdem.

37. *Qualiter custodes ordinantur per imperatorem pro custodia civitatis Senensis.*

Quibus sic peractis et propter mansuetudinem regis pacifice quietatis dictus dominus cardinalis in dicto communis palatio visitat dictum dominum regem et post felicis mutuum congratulationem eventus ad propriorum negotiorum colloquia redeunt et pro consummanda celeriter dante Deo dicti regis coronatione decernunt, quod reverendus pater dominus Pragensis archiepiscopus cum propria non modica gente sua Senis remaneat eius nomine pro custodia civitatis et magne experientie vir, quamvis statura pusillus, pollens tamen consilio, et iuris utriusque professor, dominus videlicet Iohannes de Vicedominis de Aretio, staret ibidem ad potestatis officium exercendum, quousque rex ipse coronatus feliciter de Roma rediret.

38. *Honor exhibitus Viterbii domino cardinali, et qualiter custos eiusdem prohibuit ingressum imperatori et imperatrici.*

Post hec et alia sic, ut predicatur, ordinata predicti domini et regina iter eorum accelerant versus Urbem et, licet non omnino comode simul recipiantur in via, tamen ut prudentes et providi *faciunt de necessitate virtutem* ac per Sanctum Quiricum ac altum Radicofanum et deinde per Aquam pendentem atque Bolsenas et iuxta Montem Flasconem attingunt Viterbium, ubi nec rex nec regina introire permittuntur, quia cives eius propter partialitates eorum magna conspiratione vivebant, propter quod rector patrimonii beati Petri in Tuscia, cuius ipsa civitas quasi caput existit, custos tunc civitatis eiusdem, pati noluit dicti regis introitum nec regine, quia per dictum regem inimicis eorum dicte civitatis exulibus preberi favorem, ut redirent ad propria, dubitabant. Sed dictus dominus cardinalis reverenter ibi recipitur et lete videtur, quia civitas illa pertinet ad Romanam ecclesiam pleno iure. Oportuit ipsum regem preterire Viterbium et apud Vicum recipi transeundo et apud civitatem Sutrii hospitari, et dominus cardinalis etiam idem fecit, quod fuit die Mercurii sancto, prima die mensis Aprilis.

39. *Honor exhibitus domino cardinali per cives Romanos et qualiter secreto imperator ingreditur Urbem.*

Die Iovis autem sancto de mane, secunda die iam dicti mensis Aprilis, de dicta civitate Sutrii discedentes apud Cezanum, opidum comitis Anguillarie, quod ab Urbe miliari quartodecimo distat, simul et in una mensa prandium sumunt ac deinde statim equos ascendunt et celeribus passibus properant versus Urbem. Et cum ad ecclesiam Magdalene, que sita est per unius miliaris distantiam extra, dictus dominus cardinalis attingit, ibi reperit senatores et populum, ut uno verbo concludam maiores, medios et plebeios, unanimes et concordas ad dictos dominos omni modo, quo poterant, honorandos. Sed dictum regem tunc honorare non possunt, quia tunc ex certa scientia diverterat et Urbem intrare noluit publice recta via propter certas rationes et causas iustas et rationabiles quas habebat. Obmissis itaque viis, que ducunt ad portam castelli Crescentii, quod sancti Angeli <vocatur>, quam omnis Romanorum rex debet in imperatorem coronandus intrare, necnon et ad portam Viridariam, per quam dominus cardinalis intravit per universum populum summo cum gaudio receptus, tam pallio quam aliis cerimoniais et plausibus notabiliter honoratus, supra montem Gaudii, quo quasi cernitur tota Roma, suum secretum iter arripiens, tandem <per> portam illam, que Pertusii dicitur, ingressus est Urbem et in claustro canonicorum basilice principis apostolorum primo descendens, ubi cum domino Benedicto de Ursinis basilice predictae canonico hospitatus est illo sero. Media tamen nocte surgens cepit de nocte sanctuaria visitare et dominus cardinalis

etiam cum eodem. Et in eadem basilica media quasi nocte sacrosanctam Christi Veronicam sibi per dictum dominum cardinalem ostensam devotissime rex ipse catholicus adoravit.

40. Qualiter dominus cardinalis Veronicam sanctam ostendit, <et imperator> ecclesias et sanctorum reliquias visitavit.

Et die tertia Veneris sancto crastino veniente aput monasterium sancti Pauli cibi potusque penitentiam agens demoratus est cum abbate nec illa die propter venerande Dominice passionis memoriam ulterius equitavit. Sed dictus dominus cardinalis in basilica principis apostolorum misse ministerium facit et Veronicam sanctam universis ostendit. Et in eodem die post solis occasum dictus dominus rex alia sanctuaria circuiens venit ad sacrosanctam Lateranensem basilicam, que mater et caput ecclesiarum Urbis et orbis in Salvatoris nostri nomine primitus consecrata per Constantini pii atque Silvestri pape necnon et aliorum sanctorum statuta ipsius est imperatoris et Romani pontificis prima sedes, ibique reliquias omnes et singulas, inter quas circumcisionem domini nostri Iesu Christi et de sanguine quodam vasculo cristallino per felicis recordationis dominum Bonifacium VIII. papam in una magni valoris capsula deposito devotissime vidit et humillime veneratus est, ac in sacristie locum accedens mensam, in qua cum apostolis suis cenavit dominus Iesus Christus, reverentissime vidit et fervore spiritus ardens unam recepit particulam de eadem, tandem inde descendens ad beate Marie maioris basilicam, ubi etiam reliquias omnes vidit, inter quas puerperium, panniculum scilicet, quo quilibet infans de ventre matris involutus egreditur, humiliter adoravit. Et quia iam medie noctis hora transiverat, ad contiguum ibi monasterium beate Praxedis accessit ibique columpnam, que Christum ligatum sustinuit fustis cesum, quam sancte recordationis dominus Iohannes de Columpna dudum tituli sancte Praxedis presbyter cardinalis apostolice sedis in orientalibus partibus tunc legatus, qui per illos tunc infideles captus extitit et inter duas postes cordis astrictus usque ad gravedinem cum effusione sanguinis sectus Christi fidem intubanter non negavit, sed ex illorum inspiratione miraculose dimissus obstinatos illos ad fidem Christi convertit et per quasdam constitutiones, que usque hodie editionis eius titulum habent, sub mandatis ecclesie reformavit, argenti et auri aliaque magni valoris enxenia renuens cum multis aliis reliquiis Romam tulit et eam dumtaxat in eodem monasterio collocavit, vidit adoravitque devote et ab abbate eiusdem loci devotionis instinctu plures dono reliquias reportavit. Et ibi cum magna cordis recreatione quievit. Mane autem Sabbati tunc sequentis summo diluculo residua sanctuaria circuit et caput verum Iohannis baptiste in monasterio sancti Silvestri, quod est prope marmoream Antonini columpnam sculptura pulcherrima et prestancia celsitudinis excellentem, devotissime vidit. Et demum ad principis apostolorum basilicam rediens in pulcherrimo ibi palatio papali descendit et cibo sompnoque reffectus se patentem exhibuit omnibus eum volentibus visitare.

41. Celebratio ordinum per dominum cardinalem in ecclesia sancte Martine.

Eodem Sabbato sancto mane dictus dominus cardinalis ad ecclesiam suam sancte Martine predicto episcopatu Ostiensi annexam, que inter ecclesiam sancti Adriani et locum carceris apostolorum principis situata monti Tarpeio subiacet, in quo usque hodie Capitolium manet, accessit et ibi pontificaliter et pallio utens solempniter celebravit et diversos clericos ad diversos gradus ordinum ordinavit.

42. Manifestatio imperatoris populo et eius visitatio per maiores urbis Rome.

Cum itaque delatum est senatoribus et consilio dicte Urbis, quod dictus rex accessibilis est et se prebet omnibus manifestum, statim per omnes et singulos unanimiter est decretum, quod ad dominum Romanorum regem ambasiata solempnis absque intervallo temporis mitteretur, factumque est ita. Sed quia solempnior fieri non poterat quam de personis illis, que Urbem ipsam et totum populum representant, ideo senatores ipsi et cum illis Romani populi syndici totumque consilium, videlicet XIII capita regionum Urbis predictae ac XVIII boni viri necnon et consules bobatteriorum et mercatorum ac aliarum artium dicte Urbis ad dictum dominum regem stantem in predicto principis apostolorum basilice palatio insimul accesserunt.

43. Qualiter electus a maioribus urbis Rome imperatori explicat articulos ex parte dicte Urbis.

Et quis eorum omnium, quis loquendi modus ornatior tam Rome quam regi necnon senatoribus et toti consilio antedictis plus ad gloriam cederet et honorem, diutius disceptato tandem nobili viro Lello quondam Petri Stephani de Tosectis Romani populi sindico supradicto, domicello dicti domini cardinalis, propositionis huius fuit onus impositum. Qui, sicut scriptum est, *timens populum et obediens voci* eius eorum iussui, quantumcumque sit, subito velut *obedientie filius in humilitatis spiritu* paruit et voluntates eorum et impositos ei distinctos articulos, elegantem orationem et plus quam rethoricam faciens, luculenter et grate nimium audientibus explicavit.

44. Qualiter imperator annuit petitionem urbis Rome civium.

Quibus omnibus pacienter auditis predictus dominus rex veluti mansuetissimus hominum responsum placidum et mitissimum reddidit, se posseque suum liberaliter offerens ad omnia, que Romano populo cederent ad comodum et honorem, atque armigeros et equites, quos ambasiatores predicti petiverant, cum leto vultu magnaue cordis liberalitate concessit pro quatuor mensibus in servitium Romane reipublice moraturos, ac ambasiatores suos una cum Romanorum nunciis in Romanam curiam se missurum et eorum reditum expectaturum in Tyburtina civitate predictae Urbi per XV miliaria vicina, que sola pertinet ad imperium circa Urbem, cum ingenti verborum assertionem promisit.

45. Qualiter imperator iurat Urbi iuramento ab imperatore fieri consueto.

Die vero Dominica, quinta mensis Aprilis, qua Pascha Dominice resurrectionis celebratum est, predictus dominus rex in aurora consurgens debitas volens cerimonias observare ac omnia iuxta longevam Romanorum imperatoris consuetudinem et ritum et ordinem sacrosancte Romane matris ecclesie solempniter consummare, gentibus suis armatis, quibus tunc nulle pulchriores in mundo, tam in ponte sancti Petri quam per alia civitatis Leonine loca ex innata sibi prudentia et industria cautela dispositis, certa secum quantitate retenta civitatem exivit, rediit ad predictam ecclesiam Magdalene et usque ad lucescentes solis radios moratus est ibi. Quibus iam apparentibus tubas clangere iubet et signa moveri, lentoque passu, prout congregari volentium moris est acierum, flammeo quodam rubeo colore vestitus *fulguris coruscantis* ad instar sicut *rex regum et dominantium dominus* intraturus Urbem in pompa revertitur, qui gestu corporis et habitu mansuetus et zelo mentis humilior ut peregrinus intraverat. Sed cum ad parvum pontem Almacie, qui recte in bivio situs est super modicam aquam, tamen ex pluviarum inundatione crescentem, ipsum dominum regem

contigit pervenisse, sindicis et cancellariis Urbis obviat, qui iuxta predecessorum suorum omnium Romanorum imperatorum consuetudinem in honorem debitum Romano populo continue observatam iurare quosdam articulos eum requirunt. Qui rex ipse tamquam verus augustus alme Urbis honores et ipsius Romani populi iurisdictiones augere desiderans ac paratum se offerens omne Romanorum beneplacitum adimplere, narratos per nobilem virum Nicolaum de Monte Nigro, tunc domicellum, cancellarium Urbis, articulos observare se asserit et super apertum librum ewangeliorum, quem predictus nobilis vir Lellus Petri Stephani de Tosectis Romani populi sindicus in manu tenebat tamquam rempublicam representans, corporaliter et publice tactum iuravit et sacramentum prestitit, <quod> a dicto Lello Petri Stephani audivit in hec verba: *Ego Carolus Dei gratia Romanorum rex semper augustus et Boemie rex, imperator futurus, iuro et promitto me esse et esse velle conservatorem, protectorem et defensorem catholice fidei Christiane et sacrosancte Romane matris ecclesie ac totius fidelis populi Christiani ac iurium et honoris sacri Romani imperii suorumque fidelium omnium; necnon iuro conservare pacem et securitatem senatoribus, senatui populoque Romano tam in personis quam in rebus et iuribus universis, quantum valeo atque possum, ac omnes bonos usus et consuetudines urbis Romane ac etiam omnes iurisdictiones et libertates prefate Urbis et populi Romani protegere et manutenere, quantum in me fuerit. Sic me Deus adiuvet et hec sancta Dei ewangelia.*

46. *Qualiter imperator nepotes domini Petri de Columbario cardinalis Ostiensis et cum eis multos, tunc domicellos, militari titulo decoravit.*

Deinde recedens versus portam Crescentii, Viridariam portam relinquens ad dexteram, ad levam arripit iter. Et licet galeatos equites ob temporis brevitatem et multiplicium cerimoniarum misterium et maxime discrete compatiens dicto domino cardinali, ne tedium in tanta solempnitatis prolixitate reciperet, festinos ire iuberet, eorum tamen, qui diu speratum in tam insignis Urbis introitu militarem habere titulum sathagebant, obsistente pressura iussus regius impleri nequibat. Ad portam ipsam tandem perveniens *civitatem Dei, de qua gloriosa dicta sunt*, Urbem almam ingreditur. In quo quidem Urbis ingressu nobiles viros Petrum de Sancto Desiderio dictum Testardum et Petrum de Monasterio necnon et Petrum de Alovesco, dicti domini Petri cardinalis Ostiensis nepotes, tunc domicellos, militari titulo decoravit. Et ibi per senatum aliaque dicte Urbis officia totumque populum cum magno plausu sub pallio iuxta honorantium et honorati decentiam cum consueta solempnitate recipitur et per maioris ac medii et infimi status viros honorabiles electos ad hoc specialiter addextratur et versus beati Petri principis apostolorum basilicam eadem impediende pressura vix ducitur. A dextris enim et a sinistris, ante faciem etiam et post tergum, nunc ense, nunc baculo, nunc virga, nunc manu, diversarum originum viris militarem caracterem imprimebat, nec umquam a parvo ponte predicto usque ad predictam basilicam ab huius honoris impressione vacavit. Sed cum ad introitum platee predictae basilice, que Cortina vocatur, qui est ante beatissime virginis Catherine monasterium, cum innumeris fluctibus acierum antiquorum pariter militum et novorum non sine multis membrorum collisionibus inermis totaliter applicasset, inibi reperit senatores, qui iam de suis equis descenderant, ut servatam ab olim consuetudinem observarent. Quorum unus a dextris et alter a sinistris equi regii frenum recipiunt et ipsum per totam plateam, que Cortina dicitur, supradictam usque ad scalarum gradus marmoreos, per quos in basilicam memoratam ascenditur, adextrant. Ibi tunc rex ipse descendit et, ut moris est, predictis senatoribus illum quem consederat equum dedit; et eosdem gradus predictis senatoribus et aliis dicte Urbis officiis necnon et ducibus,

marchionibus, comitibus ac baronibus et prelatibus innumeris et Romano populo circumfultus ascendit.

47. *Qualiter imperator aurum offert domino Ostiensi tamquam persone summi pontificis.*

In quorum graduum summitate dictus reverendus dominus meus dominus Ostiensis episcopus cardinalis pallium ex Ostiensis ecclesie privilegio gestans aliisque pontificalibus ornamentis amictus cleroque Romano multisque prelatibus et religiosis omnibus singulis in eorum ordinibus preparatis processionaliter sociatus eundem regem ad osculum recipit et amplexum, ac eidem domino cardinali tamquam persone domini nostri pape predicti representanti aurum obtulit, ut in pontificali Romano continetur. Et eum ad dexteram suam tenens duxit ad ecclesiam sancte Marie in Turribus, que est inter primam et secundam portam basilice beati Petri; et ibi ante altare eiusdem ecclesie dictus dominus rex coram dicto domino cardinali super ewangelicum textum, quem subdyaconus tenebat in manibus, sacramentum prestitit in hec verba:

48. *Iuramentum imperatoris summo pontifici et Romane ecclesie; et qualiter ipse imperator et imperatrix per dictum dominum cardinalem coronantur.*

Ego Carolus rex Romanorum, annuente Domino futurus imperator, promitto, spondeo et polliceor atque iuro coram Deo et beato Petro, me de cetero protectorem ac defensorem fore summi pontificis et sancte Romane ecclesie in omnibus necessitatibus et utilitatibus suis, custodiendo et conservando possessiones, honores et iura eius, quantum divino fultus adiutorio fuero, secundum scire et posse meum recta et pura fide. Sic me Deus adiuvet et hec sancta Dei ewangelia.

Deinde dictus dominus cardinalis cum ordinibus suis inde discedit et singulos actus et cerimonias tam verbo quam facto et debitis locis iuxta sacrosancte Romane ecclesie ritum et ordinarii libri pontificalis et bullarum etiam traditionem exequitur. Et dictus dominus cardinalis et rex ipse, qui per canonicos dicte basilice in eadem ecclesia sancte Marie de Turribus receptus extiterat in canonicum et in fratrem, complexi manibus nec minus et animo, sic simul intrant ordine processionali basilicam, ubi tantus est civium plausus, tanta simul exterorum letitia, tantus insuper sonus omnis generis musice concrepans, quod nec fulguris conscindentis ecclesiam <fragor> audiretur, nedum quod invicem minime se loquentes audirent; nec mirum dictu, sed nec visu mirandum est consideranti potissime, quod inaudita tam diu matris ac filii, sororis et fratris, sponse simul ac sponsi fruitio mutuaque letitia tunc videtur. Merito igitur Urbs ipsa letatur, cum se vaginam a se procedentem utrumque gladium conspicit continere. Sed nimis prope, proch dolor, *extrema sui gaudii luctus occupat et risus eius dolore miscetur*; nam, ut infra patebit, cupite diu respirationis letitie spe frustratur.

Nunc tempus est, ut ad propositum redeam et, ut brevius quivero, solempnia tante coronationis exponam. Qui iuxta libri pontificalis ordinem diversas illi benedictiones in diversis locis ecclesie et omnes debitos actus exercuit et eosdem regem et reginam ante altare beati Mauritii inunxit iuxta ordinem Romani pontificalis predicti. Gradiuntur itaque simul spiritualis presul et temporalis antistes et tandem ad maiorem eius basilice tribunam perveniunt. Ibi rex sibi dedicatum in dextro latere conscendit ad thalamum et in sinistro simili regina consedet ac in sede marmorea papali tribune predictae medio sita stat dominus cardinalis et ad missam tunc solempnissime celebrandam se pontificalibus induit ornamentis. Rex etiam et regina similiter amicti sunt vestimentis eorum imperialibus, que ad

huiusmodi coronationis celebranda solempnia requiruntur. Tunc officium singularissimi cantores capelle dicti domini cardinalis incipiunt et missa decantatur et omnes actus et cerimonie in debitis locis fiunt, que et ubi secundum ordinarii libri pontificalis et litterarum apostolicarum ordinem fieri debent. Sed in hoc toto tempore dictus rex ab impressione militari non vacat, quia Romanos et Gallicos, Etruscos et Anglicos, Lombardos et Siculos, Ispanos et Vascones, Germanos et Apulos ac de ceteris nationibus orbis terre honoris titulo militaris ascribit. Distinctis itaque locis atque temporibus predicti rex et regina per dictum dominum cardinalem benedicuntur, inunguntur, coronantur, offerunt et communicant secundum ritum ecclesie et antiquam Romanorum imperatorum consuetudinem observatam seu traditionem libri ordinarii supradicti.

49. Regressus imperatoris et imperatricis coronatorum; et qualiter Columpnenses militavit; et eorum de Urbe egressus.

Missa demum et coronationis imperialis celebritate, quod dictu mirum est et incredibile multis, cum pace protinus et quiete finitis, predicti cardinalis et rex, iam in Dei nomine imperator, simul et post eos domina imperatrix, non depositis vestibus et ornamentis solempnibus, que tenebant, de tribuna predicta cum ingenti plausu et letitia gentium descendentes usque ad locum summum scalarum basilice supradicte, ubi dictus dominus imperator per dictum dominum cardinalem receptus extiterat, gravibus passibus cum magna cordis iocunditate perveniunt. Et ibidem imperator et cardinalis inter se pacis osculum sibi dantes ab invicem discesserunt. Et ibi etiam dictus dominus cardinalis licentiam ab imperatore recepit et dictos gradus imperator et imperatrix non sine gentium armatarum pariter et inermium pressuris descendunt. Ad quorum infimum equos eorum paratos inveniunt et illos cum inenarrabili populi plaudentis exultatione tum ascendunt. Et recte mihi visum est impletum esse, quod scribitur: *Ecce videlicet equus albus et qui sedebat super eum vocabatur Fidelis et Verax.* Tunc ordinati nobiles, medii et plebei Romani singuli singula exhibentes obsequia, quidam eorum circa dominum imperatorem, alii circa dominam imperatricem intendunt. Aliqui frena, aliqui stapedes, aliqui clamidem auream, aliqui pallium super eorum capitibus sustinentes pedites eos adextrant usque ad sacrosanctam Lateranensem basilicam supradictam, ad quam, cum quia per unius magne leuce spatium iter durat, tum quia manus imperatoris adhuc a novorum militum creatione non vacat, tum et maxime quia Romani cives, mares et femine, pre maxime devotionis et dilectionis ardore, sicut *cervus desiderat ad fontes aquarum*, sic ad pedum imperialium oscula festinabant, adeo quod officiales imperii alique Romani per consilium dumtaxat ad hec specialiter ordinati necnon et ille, qui magnam et omnis forme pecunie summam continue spargebat in via, ad cuius collectionem simul pergantium animos divertebant, vix eum defendere poterant a pressura, tandem circa horam vespertinam perveniunt. Et in aula solempni, per quam de dicta Lateranensi basilica in contiguam basilicam ad Sancta Sanctorum, in qua beatorum apostolorum Petri et Pauli capita sub altari et per alia loca dicte basilice sanctorum plurium et sanctarum reliquie conservantur, accedit, paratum invenit, ut qui spirituali cibo mane reffectus extiterat in altari, corporali tunc ibi reficeretur in mensa. Sed vere vir *ad laborem nascitur*. Nam cum vellet manus abluere, Columpnensium militandorum tunc nobile genus genua flectit humiliter supplicans, ut in Lateranensem ecclesiam iterum redire dignetur et eos ante altare illud sanctissimum, cetera mundi altaria precellens dignitate, pontificalis et imperialis tituli prerogativa dotatum, in quo publice primitus extiterat celebratum et sub quo singulis annis crisma sacrum die Iovis sancto miraculose recipitur, cingulo militari decoret.

Qui dominus imperator ex innate mansuetudinis zelo et proprie sue ferventis dilectionis affectu, quo dictos Columpnenses prosequitur, benignissimos pedes movens mitem se prius opere quam verbo ostendit. Et cum in ecclesiam venit, ad sacratissimum illud altare se contulit illosque ibi cum ingentissimo gaudio militavit. Et illi tunc etiam novos alios per se ipsos milites creaverunt. Et sic omnibus solempniter pacifice consumatis ad sumendum tam diu dilatatum prandium imperator ipse rediit. Sed cum imperiales cerimonias exercere se cogitat, propter solis occasum instantem surgere cogitur, quoniam iuramento perstrictus in Urbe predicta non poterat pernoctare. Festinus itaque surgit et equos duci mandavit ac suum velox ascendit et ad venerabile monasterium sancti Laurentii, quod est per mediam leucam foris muros Urbis ipsius, in quo beatorum Stephani prothomartiris et eiusdem Laurentii corpora et aliorum quam plurimum martirum requiescunt, accessit et post se iussit dominam imperatricem accedere ac totam aliam gentem sequi. Quod, sicut mandaverat fieri, est factum, et ibi nocte statim superveniente quievit.

50. Qualiter dominus cardinalis imperatorem visitat et recipit licentiam ab eodem, et confirmat promissa Romanis imperator et Ursinos militat.

Die vero Lune sequenti, VI. dicti mensis Aprilis, in mane predictus dominus cardinalis imperatorem ipsum apud sanctum <Laurentium> visitat multaue simul de negotiis ecclesie conferunt. Et tam de discessu quam de loco, ubi debeant convenire, concordant. Et dictus dominus cardinalis ab illo tunc licentiam recepit videre suam ab Urbe per quatuor leucas seu XII miliaria distantem Ostiensem ecclesiam accessurus, nec imperator voluit eum retinere, quoniam omnes representantes rempublicam Romanorum, quos in die Sabbati sancto supra descripsi, necnon omnes et singuli nobiles et tam antiqui quam novi milites dicte Urbis secum invitati pranderent. Post prandium vero dictus dominus imperator nobilem Nicolaum de Ursinis comitem palatinum et Iohannem de Sancto Eustachio militavit iterumque confirmat promissiones, quas in predicto die Sabbati sancto Romanis fecerat supradictis, dicens, quod ex se nuncios mittant de negotiis Urbis et eorum intentionibus informatos.

51. Qualiter cardinalis offert crucem pulcherrimam ecclesie Ostiensi, et barones suos ad gwerram paratos invicem pacificat imperator.

Veniente autem die Martis mane sequenti dictus dominus imperator versus Tiburtinam civitatem et dictus dominus cardinalis versus Ostiam civitatem predictam iter arripiunt. Qui dominus cardinalis ibidem pernoctavit et die Iovis sequenti in eius maiori ecclesia cathedrali, que beate Auree, cuius corpus ibi reconditur, titulo decoratur, velut in domo sponse sponsus decoratus pallio solempniter celebravit et crucem argenteam super deauratam magne pulcritudinis ad perpetuum decorem ecclesie magna cum devotione donavit. Deinde die ipsa post prandium ad Urbem rediit, et senatores cum consilio nuncios eligunt destinandos, credentes indubie, quod imperator predictus in dicta civitate Tyburis debeat, ut promiserat, expectare ac ad aliqualem inclinate simul et miserabilis Urbis alme respirationem intendere. Sed Deus aliter ordinat, aliter negotia disponuntur. Nam inter duos magnos Alamannie proceres, Stephanum scilicet de Bavaria ducem, Czenconem comitem de Lippa, quedam dissensionis materia exoritur, propter quam tota gens imperatoris eiusdem hinc inde dividitur, et sumptis armis cordibus extuantes ferocibus acies ordinant et ad congregiendum in invicem se disponunt. Et vere campus ille Romanus Germanorum sanguine non superficialiter sed funditus maduisset, nisi *magnus ille consilii angelus, princeps pacis*, imperator videlicet, celeriter medius illis obstitisset, equanimitate cuius in rectitudine

voluntatis attenta furore deposito treugalem inter se partes pacis prenunciat incipere quietem. Sed quia rancoris et odii iam fixa venis *letal*is arundo pectoribus *heret*, optata pacis dulcedo non sequitur nec iuxta mentis imperatorie zelum credita cum aviditate gustatur, quin ymo timentibus animis pars utraque vivit et *novissimus* ille *priore* *deterior* iam cunctis adest in ianuis *error*.

52. *Qualiter imperator expectat Romanorum nuncios.*

Propter quod et propter defectum victualium, quem, si remansissent diutius, prout gentes imperatoris asserunt, incurrissent, sed nec minus, ymo potissime, quia pecuniam non habebant, adveniente die Mercurii mane, iam dicti mensis Aprilis VIII, predictus dominus imperator et tota gens eius de dicta civitate Tiburis discesserunt, et versus Reatinam civitatem iter arripiunt et per Interamnensem transeunt civitatem et per Aquaspartas postmodum accedentes, civitatem Tuderti sitam eis ad sinistra latera non ascendunt et Perusii civitatem a dextra non intrarunt, sed media per utriusque districtus castra tenentes dictum Montispolitiani castrum solemnissime intrant et benigne nimis ibi recepti fuerunt.

53. *Qualiter dominus cardinalis in sua ecclesia Velletrensi est receptus et suos redditus remisit eidem.*

Captata itaque sibi hora die Sabbati, scilicet XI. dicti mensis Aprilis, mane diluculo de Roma discedit, et ad civitatem ipsam Velletrensem accedit, ubi tam magnifice, tam munifice fuit receptus, quod primus conditor civitatis eiusdem magnificentius et munificentius recipi nequivisset, et in eiusdem ecclesia civitatis sub beati Clementis vocabulo consecrata pallio decoratus pontificaliter celebravit et spiritu devotionis allectus omnes redditus, quos ex dicta ecclesia percipit, in utilitatem evidentem eiusdem ecclesie laudabiliter dispensavit. Et die XIII. dicti mensis Aprilis plus quam summe contentus inde discessit et gressus suos dirigit versus Tybur, quo de sero applicuit, et dormivit ibidem.

54. *Liberalitas domini cardinalis exhibita suo capellano depredato.*

Die autem Martis, XIII. dicti mensis Aprilis, dominus cardinalis discedit ab Tybure; verum quia *omnis, que niveo volucris plumescit amictu*, non est, quam simulat, vera columba, tum sibi quod non verebatur accidit illo die. Nam cum transiret per territorium castri Columbarie, quod Palumbaria dicitur in vulgari, quod circa se satis est nemorosum, quidam de dicto castro videntes quendam capellanum suum et domini nostri pape scriptorem, Iohannem de Verulis nuncupatum, solum et inermum post omnem gentem dicti domini cardinalis, non tamen per magnum spatium, equitantem, captato sibi tempore atque loco disrobaverunt eum equo, breviario, vestibus et pecunia, quam habebat. Locus igitur columbarius factus est colubrinus et confidentis domini cardinalis honorem, ut de capellani incomodo taceam, venenose momordit. Dicitur tamen dominus ut vere magnanimus hoc non curans, cum apud castrum Montisopuli, quod est abbatie Farfensis, de sero descenderet, dicto capellano suo totum et plus quam liberaliter emendavit. Et in dicto castro sicut fieri potuit honoratus nocte illa dormivit.

55. *Qualiter dominus cardinalis Sabinie, Perusii, Clusii honorifice fuit receptus et ibi vidit anulum, quo beata Virgo fuit desponsata.*

Mane autem facto dictus dominus cardinalis inde discedens pervenit in Narniam optimam Sabinie civitatem, ubi dictus dominus cardinalis est cum honore magno receptus et cum omni

reverentia honoratus. Et inde suas continuando dietas per castrum sancti Gemini et per Aquaspartas, ubi reverendum in Christo patrem dominum Egidium tituli sancti Clementis presbyterum cardinalem, tunc apostolice sedis in partibus Ytalie legatum, prefatum invenit, qui eidem domino cardinali Ostiensi ibidem obviam venerat, transitum faciens venit Fulgineum civitatem in ducatu Spoletano sitam, quo iverat ad eum legatum videndum et visitandum, ubi per episcopum et populum civitatis illius plurimum extitit honoratus. Deinde a dicto domino legato discedens et per Assisium transiens intravit Perusium et honoranter ibi receptus pernoctavit ibidem. Demum inde discedens venit apud Clusium civitatem, olim caput Etrurie, et ibi in ecclesia beate Mustiole vidit anulum, cum quo Ioseph beatam Mariam desponsavit. Deinde per Montem Policianum et per sanctum Quiricum Senas intravit et ibi dominum imperatorem invenit. Qui plus quam gratiosissime eum recepit, et grata mutuo congratulati fruitione sunt simul.

56. Qualiter dominus cardinalis Ostiensis legatum pape ad bonam amicitiam imperatoris reformavit.

Sed quanta fuerit dicti domini cardinalis sinceritas caritativa et animi rectitudo, lector, attende. Considerans enim et ex verisimili coniectura concludens, quod dictus dominus imperator de prefato in Christo patre domino Egidio tituli sancti Clementis presbytero cardinali, tunc apostolice sedis in Ytalia legato et comissario una cum dicto domino Ostiensi ad coronationis predictae solempnia celebranda, ut in litteris predictis apparet, per sedem apostolicam deputato, non contentabatur ad plenum pro eo, quod dictus dominus legatus a domino imperatore per eius nuncios et litteras requisitus in dicte sue coronationis solempniis noluit interesse, omnem quam potuit operam dedit, ut, antequam imperator ipse de dicta Senensi civitate discederet, reconciliarentur in invicem. Et dum imperatori predicto de reconciliatione huiusmodi loqueretur, bene reperit, quod credebat. Et nisi concordiam ipsam pro speciali gratia petivisset, pro certo predictus dominus legatus imperatoris prefati non remansisset amicus pro eo, quod imperatoris animo et suorum iudicata iam erat opinio, quod per dictum legatum non stetit, quin opus et dispensa perierit et dictus imperator corona sibi debita privatus existeret et delusus. Sed dictus dominus Ostiensis in tantum imperatoris et suorum animos induratos mellifluis inductionibus et effectivis precibus emollivit, quod ad velle suum illos habuit inclinatos et statim scripsit legato predicto, quod statim Senas accederet. Litteris eius visis et ille sic fecit. Appropinquante igitur illo Senas predictus dominus Ostiensis obviam sibi vadit et eum de omnibus actis et agendis informat. Sed exeuntis huius discretionem advertas, quod in cappa sua rubeo colore non utitur, sed eam coloris induit celestini, ut legati venientis honori deferret, quamvis pro auctoritate sibi commissa ante adventum et post reditum legati predicti colore rubeo uteretur. Paulo autem post exeuntem hunc dominum Ostiensem sequitur imperator et ex innata sibi mansuetudine nec minus ad dicti domini Ostiensis instantiam legatum venientem, donec ista videret, incredulum, honoravit. Simul itaque venientes predicti domini cardinales et imperator medius inter eos Senensem civitatem intrarunt et dicti domini cardinales iuxta doctrinam apostoli se ipsos *invicem prevenientes honore* per viam equitantes nullatenus signaverunt. Imperator autem, cum communis, in quo stabat, appropinquaret pallacium, cardinales ambos facto vale dimittit et *in domum suam iustificatus ipse descendit*. Cardinales autem simul ultra procedunt. Et dictus dominus Ostiensis sociavit dictum legatum usque ad locum fratrum Heremitarum sancti Augustini, ubi pro eo etiam erant hospitia preparata; et demum rediit ad domos episcopales, in quibus ipse moratur. Sequentibus autem duobus diebus imperator et ipse se invicem visitant et honore preveniunt, sicut possunt.

57. *Victoria ecclesie contra eius hostes et qualiter tyrannus reddidit ecclesie certas civitates et terras.*

Hiis autem diebus post predicti legati de marchia Anthonitana discessum magnus armorum congressus habitus est prope ipsam civitatem Ancone ad duas leucas inter gentes ecclesie, quas legatus ipse dimiserat, et nobiles Malatestam et Galleottum de Malatestis milites tunc Romane ecclesie rebelles; et, sicut Domino placuit, gentes ecclesie victoriam habuerunt et vulneratus ibi predictus Galleottus post occisos sub ipso tres equos pedes inventus, captus, ductus est et detentus. Multi autem hinc et inde mortui fuerunt. Honor autem remansit *ecclesie*, cuius *caput est Christus*, qui non deserit causam suam. Receptis autem novis huiusmodi gaudiosis legatus ipse totus exultans a suis predictis victoriosis gentibus repetitus redire festinat. Et cum predictis domino imperatore et domino Ostiensi concludens licentiatu ab illis in Marchiam rediit. Et post temporis modicum dominus Malatesta Pisas veniens, ab imperatore ac Ostiensi premonitus, ut ad ecclesie gremium revertatur, et maxime de redemptione fratris *corde compunctus* ad concordiam venit cum legato predicto et certas civitates et terras ex hiis, quas tenebat, ecclesie Romane restituit et certas retinuit sub annuo certo censu. Et sic fratrem de carcere liberans cum ecclesia pacem fecit et de Saulo Paulus effectus in ecclesie beneplacitis usque hodie se exercet.

[...]

78. *Recessus imperatoris ad Almaniam.*

Imperator autem, qui apud castrum Petre sancte remansit, fratrem suum patriarcham expectat, qui, cum post plures dies rediit propter eos, quos quidem magnos et mentis et corporis diurnos et nocturnos labores habuerat, discrasiam quandam passus est, propter quam imperatorem predictum adhuc oportuit amplius expectare. Sed cum volente Domino saluti pristine restitutus est, simul de discessu consultant. Et post firmatum consilium primo faciunt imperatricem recedere ac venerabiles patres dominum Arnestum archiepiscopum Pragensem et Iohannem episcopum Lutomisl(ensem) cum eadem; et recta via per Lombardiam iter agentes continue per tres dietas imperatorem ipsum usque ad Almaniam antecedunt. Post discessum autem imperatricis eiusdem marchio Montisferratii et dominus Ugolinus de Gonzaga necnon et quamplures Ytalici nobiles cum eiusdem imperatoris grata licentia non absque dolore mentis ingenti recedunt et ad propria redeunt, magna gwerrarum onera cum predictis Mediolanensibus subituri.

79. *Qualiter imperator quandam fundat et consecrat ecclesiam pro gratiarum actione.*

Sic igitur dispositis omnibus tandem de castro Petre sancte discedit in Boemiam profecturus et suas militares continuando dietas per terras omnes et singulas, per quas dictus dominus cardinalis accesserat, iter agit. Sed cum ad oppidum quoddam, quod Terrentium vulgo dicitur, pervenisset, ubi, cum iam Romam venerat, inde transiens domum quandam de recordationis inclite domini Iohannis dudum illustris regis Boemie, patris sui, nimium commendando mandato fidelis et obediens ipse filius emerat ad ecclesiam catholicam et devotam sub beate Crucis vocabulo ad omnipotentis Dei reverentiam construendam, ut, ubi per carnalis actum concupiscentie violentum predictum dominum patrem suum mors peccati momorderat, ibi per spiritualis fructum penitentiae seu talentum vita sibi per pietatis opus et divini cultum officii surgeret et medela, ecclesiam ipsam, dum Romam iverat et rediverat, iam quasi perfectam fecit per venerabilem patrem Iohannem Olom(ucensem) episcopum

magnumque suum thesaurarium multis prelati atque proceribus assistentibus illi de speciali sedis apostolice <mandato> solempniter consecrari. Domus ergo, que voluptatis et lascivie fuerat, nunc honestatis et sanctimonie facta est et, que terrestris hospitalitatis et carnalitatis exemplum et mortifere negociationis infecta, iam celestis caritatis et spiritualitatis est templum et salutifere contemplationis effecta domus orationis vocabitur, et non minus exequenti genito quam genitori iubenti auctore Domino proderit ad salutem. Nam, ut continue divinus cultus ibi refloreat, quosdam in illa capellanos instituit et de noviter emptis possessionibus illos reddituavit habunde.

80. Accessio imperatoris ad Cremonam et qualiter incessit pedes per pontem.

Inde cibo refectus post omnia consummata discedit et apud Burgenses sancti Donnini sero illo pernoctat et mane, videlicet die sequenti, etiam ibi prandet, statimque post prandium exinde recedit et versus Cremonam accelerat. Sed cum ad pontem ligneum, qui Pado flumini maximo iugum ponit, advenit, libere transire non potest, sed oportuit illum cum gentibus suis ad primum pontis introitum seu littus fluminis expectare, donec fuit cum vicariis dictorum Vicecomitum de Mediolano terram illam regentium de numero equitum, qui secum intrare debeant, concordatum. Et cum sibi fuit huiusmodi concordia per magistrum sue curie nuntiata, ipse idem ad huius vituperii notam menti sue fortius et firmiter imprimendam primus et pedes pontem illum ingreditur, et virga, quam manu gestabat, motum omnibus interdicere vocansque singulariter singulos iubet illos ingredi pontem. Et cum ad firmatum numerum ventum fuit, equum ascendit et cum illis intrat sub pallio et alias multum honorabiliter civitatem, quam per octingentos equites domini Barnabonis de Vicecomitibus eiusdem civitatis regimini presidentis pluries discursam invenit. Erat illis etenim dubium et non iniusta forte suspicio, ne propter eorum proprii domini, videlicet imperatoris, adventum contra tyrannicum regimen populus insurgeret in rumorem, quod et volenti populo *fidelis et verax* dominus tunc temporis nullatenus consensisset. Descendens igitur in magnis episcopatus palatiis de introitu illorum, qui foris remanserant, illos rogavit. Quod illi videntes gentium paucitatem ad imperatoris instantiam concesserunt. Et post eorum introitum ad aures imperatoris eductum imperator cibo refectus est et illo sero pernoctavit ibidem.

81. Recessus imperatoris ad Boemiam.

Altera quidem immediate sequenti die Veneris quadam imperator inde recessit et in proximum Cremonense castellum inibi pransurus accessit et suas continuando dietas per dictam Brixianensem civitatem versus Boemiam redire festinat. De cuius postea felici progressu non possem nisi ex eo, quo sepe fallimur, auditu conscribere, propter quod tacendum esse potius, quam mendaciter aut imperfecte loqui considerans, quantum ad gesta per ipsum et predictum cardinalem, fesso iam calamo concessi quietem.

82. Excusatio et recomendatio huius fidelis scriptoris ad dominum Petrum de Columbario Viennensis dyocesis, Ostiensem et Velletrensem episcopum cardinalem, quem Deus conservet in secula seculorum. Amen.

Reverendissime pater et domine, mi singularissime benefactor! Quoniam labilis naturaliter est humana memoria et preteritorum aliquando reminisci delectat aut suimetipsius aut aliorum ad gloriam, ad quam quisque perpetuandum vel pro tempore saltem attingendum accenditur, ut simul habeat in se de se gaudium et operose virtutis laudabilem posteris relinquat exemplum, idcirco de virtuoso proposito, quo vester animus magis ac magis

agitatur in dies pro vestris et Ostiensis ac Velletrensis, que titulus vestri cardinalatus existunt, necnon et aliarum ecclesiarum vestrarum iuribus et privilegiis conservandis non solum, verum etiam ampliandis, mecum ipse scripsi memoriam, ista vobis per scripturam offerre, ut ex eius, cum placeat, lectione frequenti patrati non tantum boni cor vestrum cum iocunditate letetur, sed *in virtutem de virtute* procedens, ut *Deum deorum videat in Syon*, semper ad opus bonum ferventius inardescat. Et quoniam inter ceteros laudabiles actus, quos diebus vestris exercere possetis, accessus vester ad Urbem memoria dignus et imitatione censetur, volui mihi venienti vobiscum onus imponere, ut ea, que in itinere vestro Romano vobis et aliis memorabiliter contigerunt, in scripture munimento redigerem et compendiosam illorum memoriam compilarem. Sed si voluntatem et dispositionem huiusmodi tardus impleverim, supplex precor, ut, que me totum possident, spes, fides et caritas defectum hunc tarditatis excusent et, quam propria virtute non mereor, ipse mihi veniam intercedentes implorent. Sepe enim spes et fides, quas in et de paternitatis vestre benignitate concepi, fructum ex eis immeritus persepe degustans, exercende caritatis in alios, dum inutilis obsequii mei necessarium velut opus habebant, restricta michi lora laxarunt placendi eis libere nec petitam equidem, sed nec multo minus obtentam, presumptam tamen ob illas licentiam ministrantes. *Habens* namque *spem talem multa fiducia usus* sum, ut et aliis serviam, dum viam mandatorum vestrarum, quam semper volui, currens incedo. *Sapientibus enim et insipientibus debitor sum*, quantumcumque non Paulus. Et cum scriptum sit: *Omni petenti te tribue*, ad exhibendum ministerium, cuius nulla gloria mihi surgit, reputo me cunctis obnoxium, ut, si qua virtus, si qua laus, si qua insuper operis gratia, si quis etiam sufficientie color, *non quod sufficiens sim cogitare aliquid a me quasi ex me, sed gratia*, quecumque sit michi, *ex Deo est, qui et ydoneum me fecit ministrum non littera, sed obedientie spiritu*, quantumcumque non ille, tamen *omnia* sicut ille *sim omnibus* et cuique meum modicum petenti ministerium promptus, exhibeam glebas licet duras et tribulos sterilis mee telluris inculte, ac, si aliud offeram quam speretur, quia *pluribus extensus minor est ad singula sensus*, aput paternitatis vestre discretionem, supplico, me placeat excusatum admitti, maxime cum et apostolorum princeps templum cum Iohanne conscendens excusatus oraverit donans petenti pauperi, quod habebat. Quod licet, ut ille, de materiali substantia prolatum forte verbum exprimere valeam, non minus tamen hoc idem mistico possum intellectu proferre; nam, ut in *Moralibus* Gregorius inquit, *in argento eloquium, in auro solet vite claritas designari. Argentum igitur et aurum non est mihi*, quoniam illis, ut ille, materialiter careo, et verbi, que non illum, facundia viteque splendor me reddit ineptum. Excusatum ergo dignemini ac in bonum suscipere servum vestrum ad plura quam credatis obstrictum, si velut in radicibus arbor arescens insipidum et inutilem fructum ferat aut tamquam ficus fatua palmites infructuosos emittat et hoc paternitati vestre, quod habet, cum devota mentis humilitate presentet, vestre non solum sed cuiuscumque familiaris vestri discrete correctionis id iugo submittens. Recommeno me igitur gratie paternitatis vestre, quam Dominus conservet ad votum semperque felicitet actus eius.

Scriptum Avinione, die primo Februarii, anno nativitatis Dominice MCCCLVI^o, indictione IX, pontificatus vero sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Innocentii VI. divina providentia sacrosancte Romane ac universalis ecclesie summi pontificis anno quarto.

Vester humilis familiaris vult recommendationem debitam humilem et devotam ac operis quandoque presentis degustationem